



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 5. Franciæ Rex Mariam libertati restitui ab Elisabetha postulans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

deferre audeat, vel directe, aut indire-
 cte per alios deferri faciat, nec cum Curia
 Romana, ac Papæ Ministris, & Curia-
 libus vel aliis ejus obsequio addictis ul-
 lum commercium circa res, quæ Re-
 gno, vel Reginae commodis perniciosæ
 esse possent, habere attentet. VI. De-
 nique nullus sub pœna proscriptionis
 omnium bonorum in exteris Regioni-
 bus, præcipue in Pontificis ditionibus
 absque speciali Regiæ Majestatis suæ
 licentia domicilium figere præsumat.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1570.

§. V.

*Franciæ Rex Mariam libertati resti-
 tui ab Elisabetha postulans.*

Elisabetha Regina haud benignius
 Franciæ Regem, quam summum
 Pontificem habebat; illa enim frustra
 Mariam Reginam in libertatem asseri
 ab hoc Rege sollicitabatur, nam eidem
 arrogantius hæc in responsis dabat:
 „Haud mirum videatur, si detectis clan-
 „destinis consiliis, quæ ad conjuratio-
 „nem proxime spectare comperio, re-
 „bus meis cum majori sollicitudine
 „prospiciam, atque e carcere suo libe-
 „ram dimittere recusem illam Principem,
 „quæ alterius regnum per media mini-
 „me legitima inhiat, atque a conjura-
 „tis maximi habetur, nam summæ im-
 „prudentiæ notam incurrerem, si pro-
 „priæ

Thuan. l. c.
 Cambden
 annal. Regn.
 Elisab.

Sæcul. XVI
A.C. 1570

„priæ meæ salutis incuria aliorum se-
„curitatem procurare studerem: de ce-
„tero nec Galliarum Rex, nec alius
„quicumque Princeps ægre ferat, quod
„in omnibus meis consiliis, præprimis
„propriæ meæ conservationi, ac uni-
„versi Anglici Regni commodis consi-
„lere satagam.,,

§. VI.

*Propositiones ab Elisabetha ad Ma-
riam transmissæ.*

Cambden &
Thuan. l. l.

Postmodum Elisabetha studiose divul-
gabat, quod lubenti animo Mariæ
regnum reddere vellet, dummodo illi
absque ullo Angliæ damno fieri posset,
ut autem se id sincere optare vulgo per-
suadere valeret, hinc Cecilium ad hanc
Reginam ablegabat, ut eidem sequen-
tes proponeret articulos. I. Maria Edin-
nense pactum decem abhinc annis sanc-
citum ratum habeat, ac quamdiu Eli-
sabetha, ejusque proles legitimæ vita-
runt superstites, juri suo in Angliæ Re-
gnum cedat. II. Nullum foedus cum
quocunque demum Principe contra An-
gliam ineat, vel innovet. III. Nec ul-
lum externum militem in Scotiam ad-
vocet. IV. Cum Anglis, ac Hibernis
absque Angliæ Regiæ consensu nulla
consilia, ac commercia habeat. V. In-
tegra fide Anglos, & Hibernos fugiti-
vos